

Angaria vero, cum neque usui saepe dominis, et agricolis operam facientibus detrimento, multis autem in locis jam abrogata sit, non est, cur prolixius tractetur.

Praeter ea vero instituta, quibus inter se invicem, quo minus quaestum recte exercent, rustici impediuntur, interna inquam, externa quoque impedimenta sunt, quae in abusu virium agrestium vel in eo cernuntur, ut ab opere praeter necessitatem vel, quam est necesse, diutius certe homines rustici avocentur. Cujus rei causa potissimum in rerum rusticarum contemptu quaerenda esse mihi videtur. Unde exempli causa fit, ut toties jumenta et tam diu ex publicanorum aliorumque hujus farinae hominum arbitrio morari cogantur et sub dio interdum ultra justum tempus esurire. Incredibile est autem dictu, quot hinc saepe damna nascantur. Fit enim fere, ut, amisso in tali causa propter malam tempestatem equo, plerique rustici, quo damnum acceptum resarciant, vel omnino non, vel non statim quidem habeant. Quod si est prorsus irreparabile, fundus ruinam ducit; sin ad tempus tantum modo, tamen „fugit irrevocabile tempus.“ Quae et ipsa res quam damnosa sit oeconomiae maxime, nemo inficias ibit, qui diversis temporibus diversa negotia facienda, et certis quibusdam temporibus utendum esse reputaverit. Neque enim semper ex hominum voluntate, sed ex naturae ordine plerumque pendet agricolatio.

Hic etiam de perversa caussarum agrestium in foro dijudicandarum aliarumque rerum omnino cum magnis rituum ambagibus faciendarum consuetudine dicendi locus esse mihi videtur. Oportet enim meminisse, multas esse res in sola agricultura obvias, easdemque igitur solis cognitae agricolis. Quas qui nesciunt, plurimi iudices nec tractare, nec judicare, nec decidere recte possunt. Iudicium igitur ne sit arbitrarium, secundum leges, rebus agrestibus scite accommodatas, necessario faciendum est. In nulla autem civitate hucusque tantum profecit legislatio, quantum ipsa agricolatio. Plurimae enim leges non ad hodiernam, quae a prisca toto coelo differt, sed ad rem rusticam, qualis olim fuit, accommodate latae videntur.